



S.d. 38


Cont.

Th. hist. R. IV. 150. 7<sup>62</sup>.

201.

**PRORECTOR**  
ACADEMIAE VVITTEMBERGENSIS  
**D. IO. GODOFREDVS**  
**BERGERVS,**  
POTENTISS. POLON. REGIS ET ELECT.  
SAX. ARCHIATER, COLLEG. MED.  
SENIOR ET PROF. PRIM.

**GIVES ACADEMICOS**  
ad contemplandam plenitudinem  
gratiae ex nativitate Christi  
redundantem invitat.



Atalium Christi Salvatoris dulcissimi, adeo felix & fortunatum est auspicium, ut praeseppe ipsius nobis in fontem largissimum immutatum videri possit, ex quo innumeri bonorum coelestium rivali promanaverint in miseros mortales,

Nec dissimulat id Spiritus S. qui ora calamosque Sanctorum ad celebrandam tantam munera Christi abundantiam adeo instituit, ut exquisitissimis verbis subinde admirationem suam testentur. Audiamus vel unum Johannem Baptistam, & Christi Parascevam ex toto hominum coetu unice delectum: *Ἐν τῷ πληρώματος αὐτῷ ἡμές πάντες ἐλαύομεν, καὶ χάριν αὐτοῦ χάριτος.* Ex ipsis plenitudine nos omnes consecuti sumus gratiam pro gratia. Ita pronunciat Joh. I. 16. Hujus enim verba esse, cum B. CHEMNITIO statuendum potius putamus, quam ut credamus Evangelistam hic parenthesi quadam usum, de suo aliqua addidisse, quae uti non congrua, ita dura, & in historia enarranda equidem interdum, minime vero in aliorum sermonibus recitandis usitata. Adeo ut tametsi nonnulli Patres, & inter eos praecipuum fidus CHRYSOSTOMUS, hanc sententiam elegerint, maluerint tamen plerique amplecti priorem nostram, & deseruit hac in interpretatione CHRYSOSTOMUM THEOPHYLACTUS. Nec aliquid in adversum perficere potuit THEODORUS BEZA, cum τὸ ἡμέρα non quadrare ad auditores Johannis posse afferit, quandoquidem si applicatio

tio ad omnes non spectet, oblationem tamen gratiae  
& acquisitionem ad eos pertinuisse quis negaverit? Neque etiam omnes, qui audiebant Joannem, erant increduli: multi enim Evangelium de Christo vera fide amplexi & salvati fuerunt. Sicut itaque dicit BEZA Joannem Evangelistam illa verba de se & omnibus fidelibus pronunciasse, ita licebit idem potius de Johanne Baptista afferere, cuius hic sermoncinatio exponitur ac sistitur, qui etsi nondum habebat ante oculos Christum passum & mortuum, habebat tamen incarnatum, & muneri suo sacerdotali expediundo jam se accingentem. Et pulcherrime omnino ipsi tribuit πλήρωμα, abundantissimam aliquam, & impletam ac plenissimam plenitudinem, similitudine de-  
promta a scaturigine fontis uberrima, & non modo aquarum satis & ubertim habente, verum etiam per rivulos diffluentem, & sese aliis locis communicante. Ita enim τὸ πλήρωμα in Christo non tantum designat τὸν πλεστὸν, divitias & abundantissimum thesaurum divinae majestatis, sapientiae, gratiae & reliquorum attributorum, quae ipsi secundum divinam naturam competunt Joh. I, 3. 4. Rom. XI, 33. instar fontis perennis inexhausti & abyssi imperfcrutabilis: verum etiam donorum infinitorum humanae naturae ex unione personali τῷ Λόγῳ, communicatum cumulum, tanta quidem ubertate & copia, ut nunquam sponsa regia tanto apparatu munerum a sposo suo excepta fuerit: unde eodem vocabulo admodum ἐνεργητικῷ adhibito Spiritus S. per Apostolum testetur, in ipso habitare πᾶν πλήρωμα θεότητος, omnem Deitatis plenitudinem, idque σωματικῶς, id est non

per nudam unionem, ut utraque natura nihil det,  
nihilque sibi vicisim tribuat: sed etiam exinde re-  
sultantem communicationem & communionem bonorum,  
Coloss. II. 9. Et oportuit Johannem nostrum hoc  
sublime incarnationis mysterium ad unguem tenu-  
isse, cum dicat, filium Dei in mundum missum &  
incarnatum Spiritum, id est dona infinita, accepisse  
~~an en mētēs~~, additque rationem praegnantissimam,  
quoniam Pater filium (sibi coeternum) diligat (a-  
more nempe essentiali) ideo eum *ipſi de diffē omnia*  
*in τῇ χεὶς αὐτῷ, in manus ejus,* (ejus humanae naturae  
communicavisse ad eandem denominationem, pos-  
sessionem & usurpationem.) Johan. III. 34.35. Hinc  
etiam constare potest, Johannem meditatione sua  
longius progredi, & illud πλήρωμα non considerare,  
saltem absolute & in se, verum etiam relative &  
quoad nos, hoc est, in quantum & divinis donis ple-  
nissimus ipse, & hominibus quoque communicati-  
vus & communicabilis est, imo actu communicatur.  
Ex illa enim unione & communione resultare porro  
decebant opera *παντελεοματικά*, a Christo non sua, sed  
hominum causa suscipienda, in quibus utraque na-  
tura, quod suum esset, largissime conferreret, atque  
adeo efficeretur opus mediatorum, ope cuius *τὸ πλήρωμα* Christi nostrum quoque esset, & ad nos no-  
stramque justitiam & salutem ubertim derivaretur  
ac flueret, adeo ut illius obedientia activa & passi-  
va meritum aliquod justitiae divinae, ejusque ri-  
gori plane *ιστόρροπον*, adeoque abundantissimum,  
& pro universo humano genere sufficientissimum,  
instar medicinae alicujus oecumenicae & *παντελείς*

para-

pararet, qua mortales miseri non saltem per gratiam regenerationis converterentur, verum etiam coram throno Dei justificarentur, & per renovationem ac sanctificationem habitacula mystica πληρώματα, plenitudinis divinae, Dei trinunius ejusque donorum redderentur. Unde nunc capi potest, quo sensu Iohannes de Christo Salvatore pronunciet, quod sit πλήνες χάρος οὐδὲ δικαιασίας: plenus & abundans gratia & veritate Ioh. I. 14. & quemadmodum fieri possit, ut qui ex illo fonte uberrimo per fidem bibat, non saltem amplius non sitiat, verum etiam tantam ubertatem posideat, ut in ipso sit πνύνθατος fons aquae in vitam aeternam salientis: Ioh. IV. 14. Atque sic non minus assequimur, cur Iohannes dicat nos omnes ex πληρώματι illo Christi accipere χάρην αὐτοῦ χάριος. Nam τὸ ἡμεῖς aut complectitur omnes homines, nemine nec minimo excepto, & sic vox ἐλάθομεν de oblatione & universalis acquisitione capienda, vi cuius meritum Christi revera etiam impiorum est; aut solos fideles comprehendit, atque hoc modo notio accipiendi ipsam applicationem & amplexum fiducialeum creditum, atq; εποδοχὴν applicativam secum fert: Ut adeo sicuti voluntate antecedente omnibus ac singulis liberaliter sponte & serio offertur, instarque fontis uberrimi profluit, defluit ac diffundit: ita voluntate consequente applicetur, affluat, influat & perfluat Gratia Dei per actus antea enarratos. Et L V. I.  
2. 3. Totus enim complexus amplissimus gratiae divinae hoc loco intelligendus est, non saltem uno actu conspicuae, sed per multiplices operationes difusae, omneque illud comprehendit, quod ad salutem

tem conferendam quocunque modo, aut in medii,  
aut in ordinis consideratione pertinere potest. Istud  
que adeo liberali mensura Christus confert, ut illos  
actus gratiae non una saltem vice exerceat, sed sub-  
inde iteret, & statu hominis peccatoris sic exigente  
noviter suscipiat: quorum referenda phrasis Spir-  
itus S. qua dicimus nos accepisse χάριν ἀπό τοῦ Χριστοῦ, unam  
gratiam pro altera, id est, adeo cumulatam, ut cum  
alioquigratiam in creatione exhibitam amiserimus,  
gratia tamen reparationis per Christum restituamur,  
& cum ex illa per peccata saepius exciderimus,  
eadem tamen per poenitentiam rursus frui pos-  
simus. Quae sententia inter tot divortia Inter-  
pretum optima & analogiae fidei scopoque textus  
convenientissima videtur.

Habeant hic sua sibi, qui vim hujus πληγώματος  
Christi non assequuntur, sed per abusum rationis  
in Syrtes & deuia errorum delabuntur. Monstrosa  
sunt, quae veteres Gnostici & Valentiniani de ple-  
romate Christi excogitarunt, illam solam vocem,  
praeterea nihil, quam merum inane et uacuum,  
crepantes: adeo ut omni sagacitate ingenii adhibi-  
ta non assequatur quisquam, quid istud illorum  
fuerit πληγωμα, in quo tamen confutando IRENAE-  
US, EPIPHANIUS et TERTULLIANUS non perfun-  
ctoriam operam posuerunt, nihil difficilius animad-  
vertentes, quam cum illis spectris et larvis Fan-  
ticis pugnam gerere, aut saltem mentem eorum  
ex tot verborum monstribus divinare. Quantum  
ex BEATI RHENANI schemate, quod, TERTULLIA-  
NI libro aduersus Valentinianos adjunxit, conjice-  
re li-

re licet, pleroma illis fuit plenitudo quaedam ex-  
tra Deum summum, ex qua XXX. AEones prodie-  
rint, quorum coniunctione tandem Christus ortus na-  
tusque sit, tanquam *omnium* rerum naturalium ac su-  
pernaturalium complementum; figmentum sane et  
rerum naturam ac ordinem salutis, et quicquid esta-  
nalogiae divinae ac humanae, evertentes, qualia ple-  
raque, aut potius omnia, sunt spirituum vertiginosof-  
rum: ut mirari non debeamus IRENAEUM, qui tan-  
tum laboris sumvit, ut pleroma illud Valentinianum  
excutiendum sibi putaret, L. II. aduersus Haereses c. I.  
nihil plane lucis aut sibi aut aliis afferre potuisse  
sed suis tenebris illos relinquisse, a quibus per lu-  
cem verbi liberari nolebant. Nec meliora sunt, quae  
e Socinianorum schola prodierunt, nam postquam  
veluti armis sociatis et conjuratis divinitatem Jesu  
Christi impugnare occuperunt, dicta de plenitudine  
eius non nisi de *donis finitis* capiunt, aut de *singulari*  
*excellentia eloquentiae vel gratia oris*, ex quo velut  
melleo fonte auditores fuerint irrigati, aut alio mo-  
do non multo meliori, adeo ut seipso illa *gratiae*  
ubertate, quam a Christo habere poterant, malitiose  
excludant, et instar palmitum ipsi non *insitarum*  
exarescant, aeternumque sitiant. Valeant et alii, qui  
per falsam ideam de *plenitudine humanorum meritorum*  
*τὸ πλήρεα gratiae divinae et meriti Salvatoris nostri*  
tantum non ad incitas redigunt, ac infringunt. No-  
strum potius, vestrumque est, *Cives optimi*, de im-  
petrata ex verbo Dei veritate gaudere, ac plenitudi-  
nem immensam beneficiorum per Christi *ιωάννου*  
nobis partam, non tantum pia meditatione admira-  
ri, ve-

ri, verum nostrae etiam animae applicare, et summa cum aviditate ex fonte illo bonorum inexhausto inopiae nostrae subvenire. Idcirco enim qui plenus est, imo omni copia abundantior ac plenior, tantisper exinaniri, et inter τές πτωχέυσαντας, pauperascentes numerari voluit, ut per ejus paupertatem, quam ut in morte et vita, ita in vitae non minus primordio et nativitate conspectam dedit, omnium coelestium bonorum participes redderemur, quod ipsum Apostolus merito inter singularia plenitudinis gratiae divisionae specimina referre nullus dubitavit. 2. Cor. VIII.9. Vos itaque felices, imo iterum iterumque felices, qui posthabita plenitudine mundanarum deliciarum ac voluptatum, unice eam in Christo quaeritis, ac conditionis sublimioris, in quam per ejus nativitatem collocati estis, subinde memores, ab omnibus, quae vos a tam dulci bonorum coelestium haustu usque retrahere cupiunt, animo Deo consecrato forte abstinetis. Quod uti Vos facturos porro strenue ac sedulo spem firmam concipimus; ita nobiscum plenitudinem beneficiorum divinorum vobis concessam, nummo gratitudinis erga verbi coelestis ministros in ara posito, edocete ac testamini, et quod reliquum est, ex divite Iesu Christi ejusque gratiae thesauro tantas im posterum vobis opes compare, quantas mundus neque intelligit, neque curat, soli vero fideles venerantur, omni contentione desiderant, atque hic regno gratiae suavi praegustu, in regno vero gloriae nunquam interrumpenda percepcione assequuntur. P. P. Prid. Natal. Domini

A.O.R. MDCCXIII,

VITTEBERGAE, Typis CHRISTIANI SCHROEDERI, Acad. Typ.

AB:153257



St

VD18

VD17

R



16

*B.I.G.*

8	7	6	5	4	3	2	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
Inches																											
Centimetres	20	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	1	1	1	1	1	1	1

## Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Blue									
Cyan									
Green									
Yellow									
Red									
Magenta									
White									
3/Color									
Black									

ECTOR  
ITTENBERGENSIS  
DOFREDVS  
HERVS,

N. REGIS ET ELECT.  
ER, COLLEG. MED.  
PROF. PRIM.

ACADEMICOS  
dam plenitudinem  
ativitate Christi  
ntem invitat.